



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theatrum Conversionis Gentium Totius Orbis; Sive,  
Chronologia De Vocatione Omnium populorum, &  
propagatae per vniuersum orbe[m] fidei, Christianæque  
religionis descriptio**

**Mermannus, Arnold**

**Antverpiæ, 1572**

Ad Lectorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29996**

AD LECTOREM.

**A**Mice lector, en tibi damus Theatrum omnium  
aut scenam quandam, in qua aliæ, aliæque personæ,  
suos quæque actus habent partesque agunt; aut tabu-  
lam, vnde (sicut ex charta Cosmographica prouincias,  
ciuitates, arces, fluuios, & eiusmodi discernere licet)  
cuius probatum compertumque esse queat, qua ætate  
cum primis, quibus Apostolis, apostolicisue viris, qui-  
bus Pontificibus Max., demum quibus Imperatoribus,  
seu Regibus, seu principibus, prouinciæ quæque ac  
populi ad Christianam religionem, verumque Dei cul-  
tum, abdicata superstitione, venerint. Illud duntaxat  
præmonuero, neminem mihi istuc succensere debere, si  
alios aliosque populos ab alijs alijsque Apostolis, alio  
atque alio tempore ad sanam mentem bonamque Chri-  
stianæ pietatis frugem sollicitatos reductosque refe-  
ram, quæ varia metamorphosi ac vicissitudine recipro-  
ca, hos atque illos, nunc superstitionem religionem, nunc  
contra (pro temporum morumque malitia, seu mor-  
taliū inconstantia) sæpenumero, hanc illa commu-  
tauisse liquidissimum sit. Istuc audenter dixerim ne-  
minem à fide cathol. desciscere posse, aut ad hæresim  
facile deficere, qui huic, non meæ (nequis iactantiam  
mihi impingat) sed Christianæ adeoque catholice  
scenæ patientem accommodet aurem. Vale.